


715.

AB

113559





# SPECIMEN ANNOTATIONUM

---

IN

CICERONIS ORATIONEM LIGARIANAM

SCRIPSIT

FERDINANDUS HAACKIUS,  
SCHOLAE STENDALIENSIS RECTOR.

---

STENDALIAE,  
TYPIS FRANZENI GROSSIQUE.

1811.



BRUNNENSCHE VERLAGSBUCHER



OTTO LEXICON UNIVERSALIS

BRUNNEN

SPIEGEL DER ERKENNTNIS

ZWEITER ERWEITERTER THEIL

BRUNNEN

OTTO LEXICON UNIVERSALIS

£59



**C**um abhinc novem annos hoc essem consilium sectus, ut, quicquid hic iuventutis erudiendae labor otii concessisset, id in eas potissimum literas conferrem, quae ad scholasticam disciplinam maxime pertinerent; eamque rem ita instituisse, ut ex illis scriptoribus, quos in schola cum maxime tractarem, uni alicui et domi sedulo operam darem: per hos quinque menses ad Ciceronis Orationes incubui, earumque maximam partem, exceptis Philippicis, vel legi, vel relegi. Quae in legendō observabam, ea, cum virorum doctorum sententiis comparata, diligenter in adversaria congregebam; in eam autem Orationem, quam ab in-eunte semestri aestivo publice enarrandam suscepseram, peculiarem libellum annotationum scribebam, ut haberem, quae tironibus, singulis locis a me satis explicatis, ab ipsis recte intellectis, dictarem. Eius rationis varias utilitates cum in celebriore quondam schola expertus essem, tum vero maxime in his meis discipulis perspexi. Nam primum doctoris industria plerumque discipulorum studium movet, alacritatem excitat, ingenium acuit, diligentiam auget. Deinde per illam statariam, quam dicunt, lectionem non licet, locos ab ulla parte difficiles aut omnino praetermittere, aut certe profligare; sed diutius tenetur animus in iis, quae aut corrupta sunt et emendatione egent, aut corruptiae suspicionem moverunt et defendenda sunt, aut ob alias difficultates laborant, quas vix animadvertisset iuvenis, nisi meditando, relegendendo, scribendo perseverantius in tali loco immoratus esset. Multa isto modo legi non posse, fateor; multum posse, contendō. Et multa quidem legere quilibet tiro paullo ingeniosior per se, sine ullius doctoris opera, poterit; multum ut percipiatur, diligenter, sollerti, nec indocto magistro opus erit. Neque vero ego is sum, qui veteres auctores, quotquot in scholis leguntur, eodem omnino modo explicandos censem. Ipse nonnullos

A 2

cur-

cursorie lego, et eundem saepe auctorem, quem aliquamdiu accuratius explicavi, simulac discipulos familiaritatem quandam cum eo contraxisse animadverto, citato quasi cursu perlustro. Maxima autem utilitas illius subtilioris veterum auctorum tractationis in latine scribendi facultatem redundat; quam ex illo tempore, quo haec ita, ut supra demonstravi, instituebam, in meis discipulis adeo auctam atque firmatam cognovi, ut vel hoc commodo eius temporis, quod in scriptiōnem impendimus, iacturam facile compensare possemus. Quodsi quis nostro id testimonio credere nolit, in memoriam redeat principum illorum virorum, qui non minus bene de scholis ac discipulis suis, quam de literis et optimis artibus meruerunt, Ioh. Aug. Ernestii, Ioh. Fried. Fischeri multorumque aliorum, quorum discipuli, prae ceteris illam dicendi et scribendi facultatem adepti, non alia via ac ratione ad intelligendos auctores ducti sunt. Quid dicam Battavos? De Ruhnkenio quidem testatur Wyttēnbachius \*); de ipso Wyttēnbachio Aug. Herm. Niemeyerus, Vir clarissimus, quem, cum ipse illum docentem audisset, haec ego narrantem audiebam. Nec mirum videri debet, si, qua ratione illi et aetate et doctrina provectionibus auditoribus profunt et profuere, eadem nos rudibus tironibus consultum volumus. Nam et in iis, qui in subselliis Professorum sedent, non raro rudiores tirones inveniuntur, et meliores ex nostris ad illam quasi altiorem disciplinam mox transibunt. Enimvero primae classis civibus nimis ardua haec exercitatio esse nec potest, nec debet; quin etiam ob eam ipsam causam, quod minus eruditii illis sunt, etiam magis est vel apta, vel necessaria.

Quae cum ita sint, nolo diutius in defendendo facto meo versari. Nisi enim vana me spes tenet, idoneis harum rerum arbitris institutum meum probabitur. Sed aliud est, in universum rationem quandam comprobare, aliud, cuiusdam hominis in ea ratione persequenda conatum. Hic enim in eadem re feliciter versatur, quam ille male et sine laude gesserit.

Ergo

\* ) in vita Ruhnkenii §. 109. „Ad locos vel difficiles vel memorabiles dictabat annotationes breves quide[m] illas, sed bonae frugis plenas.“

Ergo ut in nobis iudicandis eruditiores, quid sequi possint, habeant, delectum earum habebimus annotationum, quas discipulis nostris dictavimus. Illud unum monemus, et si meliores interpretes non essent in discipulorum manibus, nos tamen perraro repetiisse, quod ab aliquo interprete recte dictum esset; ea, si placuisset, cursim retulisse, in notas non contulisse, nisi ea, quae ex aliqua parte laborare et correctione egere viderentur. Eam nobis ipsi legem imposuimus, non solum consilio nostro consentaneam, sed etiam tironum, ut videbatur, rationibus utilem.

Age igitur ex notis nostris eas eligamus, quas maxime instituti nostri rationem demonstrare putemus, longiores, breviores, criticas, exegeticas. Quodsi doctis viris Orationi ipsi, in quam operam hanc quantulamcumque impendimus, duntaxat ex aliqua parte profuisse videbimus, aut vulgata lectione tuenda, aut veriore ex apparatu critico promenda et defendenda, aut usu linguae exemplis idoneis stabiliendo, aut speciosis et falsis interpretum coniecturis atque commentis refellendis: is nobis stimulus erit non solum ad viam, quam sumus ingressi, strenue et gnaviter persequendam, sed etiam ad altiora et fortiter capeſſenda, et constanter sustinenda.

### *Specimen Annotationum in Orationem Ligianam.*

Cap. I. propinquus meus. „His praemissis, inquit Weiskius, aut indignitatem facete accusat Ora- tor, aut veritatem criminis significat.“ Prius ipsi magis placet; mihi neutrum satis. Propinquitatis mentione statim ab initio fraudis ac mendacii a se removet suspicionem, et orationi suae maiorem fidem comparat, cum non temere et sine gravi causa propinquum deriſfurus et reprehensurus esse videatur.

ſe in ea parte fuiffe, qua te, Tubero. Plerique interpretes hic aliquid supplent, alius fuiffe ſcio, alius fuiffe conſitetur; ſed nihil ſupplendum eſt. Nimirum linguae utriusque ingenium hoc postulat, ut accu-

accusativo oratio continuetur; id quod a nostris hominibus fere ignoratur, qui solent dicere in quatuor rebus; durius certe. Pro Planc. 12. „Omnibus igitur rebus ornatum hominem, tam externis, quam domesticis: nonnullis rebus inferiorem, quam te (generis et nominis dico:) superiorem aliis, municipum, vicinorum, societatum studio, temporum meorum memoria: parem virtute, integritate, modestia; aedilem factum esse miraris?“ Ubi ipsum Ernestum in verbis quam te offendisse, sane mireris. Ad hanc normam emendo alium locum leg. Agr. II, 23. „vult se in communi, atque in eodem, quo ceteri, iure versari:“ Aut delendum est se, aut legendum ceteros. Hoc magis placet, et sane verisimilius est.

**cupiditate inconsiderata.** „Inconsiderata, ait Weiskius, vocatur illa cupiditas, quia illi secum non reputabant, quam impotentes et crudeles se praeverberent Pompeiani duces, et quam se mansuetum iam ostendisset Caesar.“ Haec explicatio longius arcessita mihi videtur. Inconsideratam appellat illam cupiditatem h. e. partium studium, quia homines in Africa degentes et longe remoti a bellico tumultu dementiam prodebant, cum bellum quam pacem mallent, studioque alterius partis abrepti discrimen civilis belli experirentur. Satius enim fuerat, secure certaminis et contentionis eventum exspectare, ut neutram ipsi partem offenderent.

**paullum adventu Vari conquievit.** Etiam hic discedo a Weiskii sententia, qui explicat cum Manutio: „nihil agens restitit, nihil publice fuscipiens remansit.“ Abramius (vel quisquis illius scholii auctor est, quod non comparet in ed. Graev., sed a Weiskio Abramio adsignatur) recte mihi videtur cepisse „non amplius sollicitatus ad fuscipiendam curam provinciae.“ Sed quid tum significat **paullum?** Nimirum aliquamdiu, ut spectet ad tempus illud, quum omni publico negotio vacaret Ligarius, nempe post Vari adventum. Mox autem denuo eum munere nescio quo functum esse, appareat Ciceronis verbis cap. 3. „et prohibitum se a Ligario queritur.“ Cicero hac de re nihil refert in narratione, quod suspicionem movit Weis-

Weiskio, ibi quaedam excidisse. Sed consulto Orator ea videtur omisisse, quae reo vel maxime possent vi-  
tio verti. Haec enim ad tertium tempus, nempe Li-  
garii post Vari adventum remansionem in Africa, per-  
tinent, quam remansionem et si necessitate excusat, ta-  
men ob eam demum Caesaris clementiam appellat, ut  
facile perspicias, hic gravissimum causae ulcus latere,  
quod caute erat attingendum, et praetermittendum po-  
tius, quam inutiliter tractandum. Itaque simpliciter  
necessitatem arguit, qua coactus Ligarius in Africa re-  
mancerit; quae qualis fuerit, non addit, eamque levi-  
sane momento probat, amore scilicet Ligarii in fratres.  
Haec omnia mihi satis certa videntur esse, nec prae-  
terea ullam video causam, cur egregiam hanc oratio-  
nem mutilam esse suspicer. Non facile ex ulla Cicero-  
nis oratione saepius exempla promit Quintilianus,  
quum ex Ligariana; sed nihil usquam affert, quod nos  
hodie desideremus. Ne dicam codices, quorum non-  
nulli sunt in praestantissimis, ut Memmianus et Erfur-  
tensis, nuspia lacunam prodere. — Sed cum alibi,  
tum imprimis in hac oratione id accidit nupero editori,  
ceteroquin sene acuto et sui iudicii viro, ut in nimia  
brevitate offenderet et lacunas deprehendere sibi vide-  
retur. Aliquot locos infra passim notabimus. Hoc  
loco vellem indicasset, ubinam lacunae signum figere  
vellet.

C. 2. An ille, si potuisset. Non potest quis-  
quam ad hanc interrogationem aliter respondere, quam  
ex oratoris sententia. Tamen modestius quaerit, cum  
dicit an, quam si posuisset num, quod proprie huc  
pertinebat. Ita cap. 12. „an potest quisquam dubitare“  
cf. Agrar. 2, 10. — Illinc nolim tentatum ab Er-  
nestio; isthinc, quod ipse coniicit, ne aptum quidem  
huic loco videtur, qui, sicut pronomen tertiae perso-  
nae ille, ita illinc postulat.

hic aequo animo esse p. Perperam etiam no-  
vissimus interpres hic pro adverbio accipit, et, quod  
mireris, addit „non loci (nam et antea dicitur illinc,  
non hinc) sed conditionis; ut sit cum res ita se  
haberet.“ Age videamus, quale sit, quod hoc modo  
efficiatur. Cum ipfa legatio sollicitudinis  
plena

plena fuisse, cum res ita se haberet, aequo animo potuit belli discidio distractus esse a fratribus? Cui eiusmodi oratio Ciceroniana videtur? Hic, cum significat cum res ita se habeat, quantum observavi, ab initio periodi esse solet. Milon. 33. „Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perditio ac furioso, ut huic ficeret insidias.“ Manil. 13. „Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris.“ cf. Coel. 29. Font. 6. Agrar. 2, 16. Neque vero loci notio plane recessit, sed translata tantum est in alias res, ut germanice vertendum sit da. Sed h. l. hic omnino non est adverbium; neque enim commode potest referri ad Uticae, quod nomen longius remotum est, et, hoc si volebat auctor, dare debebat illic. Quid ergo est? Nimirum pronomen primae personae, quo semper patronus clientem indicat. Milon. 19. „Video adhuc constare omnia, iudices; Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere: illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis; odium fuisse illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum cet. Ac ne quis ita contendat, ut inter Milonianam et hanc nostram Orationem multum interesse dicat, quod Milo adsit iudicio, Ligarius absit, et quod alibi in hac Oratione Cicero aut ipsum nomen ponat, aut ille, (ut paullo ante „an ille, si potuisset“): aptioribus locis, tamquam locupletioribus testibus mihi agendum esse video. Infra c. 12. „Ut concessisti illum (Marcellum) senatu, sic da hunc populo“ Manil. 13. „hunc hominem tantum excellere ceteris“ cf. ibid. c. 16.

C. 3. de Ligarii non audeam confiteri.  
Plures libri consentiunt in omittenda negatione, quae ne apud Quintilianum quidem (hunc locum Inst. Or. 5, 10. §. 93. memoriter laudantem) comparet, unde Abramius colligit, omisso non legendum esse: de Ligarii audeam conf. Sed h. l. non agitur de confessione studii communis partium Pompeianarum, sed de causis illius studii, quae diversae erant, cum Cicero confilio et voluntate ad Pompeium se contulisset, Ligarius invitus et necessitate coactus in iisdem partibus restitisset. Ergo de se non dubitat confiteri, se sponte in castra Pompeii migrasse, et praedicat Cæfaris

faris clementiam, quae talem confessionem patiatur; de Ligarii culpa non audet fateri, quia eius voluntatem ab armis contra Caesarem sumptis abhoruisse dixerat. — Patricii conjectura: quae de meo f. n. d. pro qui, non inepta quidem est, sed minime necessaria.

cum de se eadem dicerem. Se ad Tuberonem referendum esse, quivis videt, ideoque non curat Orator proprietatem sermonis, ex qua dicendum erat de ipso.

**industriae gloriaeque.** Industria Ciceroni proprie vocatur studium agendarum in foro controveriarum, differtque a diligentia, quae est Graecorum *ἀνθεσία*, cura, cum industria sit alacritas et studium in labore suscipiendo, urgendo, perferendo. Verr. lib. 1, 6. „In Siciliam sum inquirendi causa profectus. Quo in negotio industriam meam celeritas redditio-  
nis, diligentiam multitudo literarum et testium declaravit.“

contra ipsum Caesarem est congressus. Monuerunt interpretes, congregdi contra aliquem, pro cum aliquo nusquam legi apud Ciceronem. Locus tamen defendi potest. Aliud est cum aliquo congregdi, aliud contra aliquem. Ple-  
riique omnes Pompeiani non sunt congressi cum uno Caesare, sed cum Caesaris militibus; verum tamen contra Caesarem. cap. 5. „tulit arma contra te.“ Exercitus cum exercitu congressus est, non unus ali-  
quis cum Caesare, quod fuisset certamen singulare. — Ceterum recte fane statuit Weiskius, verba sequentia significare, „Tuberonem imprimis hostili animo pu-  
gnasse, et ex ipso Caesare prostrato appetivisse gloriam.“ Sed hac explicatione nihil deteri defensioni nostrae, facile intellectu est, propterea quod qui appetit cum aliquo congregdi, non statim eum deprehendit et re vera congridetur.

C. 4. Haec non modo mirabilia sunt, sed p. f. e. q. dicam. Haec ipsa absurdia sunt, quod non modo cogit, ut duplex praedicatum ad haec referatur, id quod non licet per huius loci rationem.  
Sed

Sed quid multa? Verissimam lectionem iam Gruterus e codd. eruit, quam temere neglectam ab Ernestio Weiskius recepit: Haec admirabilia sunt, sed prodigii simile est, quod dicam. Alioquin possis coniicere: haec modo mirab. s, sed, omisso non.

C. 5. Quod nos domi petimus. Veteres interpres aut petiimus legendum, aut domi de lendum esse censem, quod causa in foro agatur, et paullo post Cicero dicat: Si, cum hoc domi faceremus; quo ex loco vocem domi inculcatam esse volunt. Auctoritas tantorum virorum suadet, ut et diligenter attendas, cur vulgata atque constantem omnium librorum scripturam mutare velint, et videoas, ne quam temere conjecturam admittas. Mihi locum saepius retractanti vulgata lectio vera et bona videtur. Primum ipse Cicero et in hac oratione, et in epistola ad ipsum Ligarium (Fam. 6, 14) scripta refert, domi fratres Ligarii Caesari supplicasse. Deinde quis potest credere, Ciceronem adeo dignitatis suae oblitum fuisse, ut se in foro Caesari ad pedes prosterneret, vel saltem Ligarii amicos stratos esse diceret? Hoc intra privatos parietes fieri patimus, in foro et palam si fit, indignamur. Postremo petimus h. l. dictum est *ἀρπίσως*, quasi saepe hoc facerent.

saluti civis calamitosi consultum esse vellemus. Monet Ernestius, praeter confuetudinem esse adhaerere orationi, et nuspia se in hac phrasι reperisse. Illud quidem non sine exemplo est. v. Cic. Caecil. 6 extr. quibus maxime lex consultum esse vult. Sed nescio an praferenda sit altera lectio: saluti civi calamitoso esse vellemus, quae exstat in optimae notae codd., et Lambino Graevio que probabatur. Consultum ex glossa ortum esse potest, quam librarius addidit, quia plurimum dativorum congerie durior videbatur oratio. — Ad Weiskius aliter rectam et elegantem orationem existere negat, nisi vocabula **civis** (nam ita legit et ipse) et hominis permutent inter se locum, atque ita legatur: saluti hominis calamitosi consultum esse vellemus; tamen **civis** non esset, in tanto dis-

discrimine et periculo civis cet. Non docet, quid ipsum offendat, nisi quod ordinem verborum, qui in libris antiquis est, dicit se putare non esse Ciceronis. Videlicet hoc inconcinnum videbatur et elegantiae expers, quod post civem homo diceretur, flatimque recurreret civis. Evidem illam coniecturam, licet dignam quae in textum reciparetur auctor existimaverit, infelicissimam esse arbitror. Homo h. l. est is, in quo vera humanitas agnoscitur, (ein feinfühlender Mann). Eius fane non est, sponte coarguere aliquod mendacium, quominus salutem assecuratur civis calamitosus, non improbus. Saepe apud Ciceronem illam vim habet ista vox, e. c. mox infra: „haec nec hominis, nec ad hominem vox est“; et pro Deiot. II. „inimicitias hominum more gerere.“ cf. pro Planc. 33. Verr. 2, 45. Et notum satis illud Terentianum: **Homo sum: humani nihil a me alienum puto.**

**C. 6. Ac primus aditus et postulatio.** Apponam Weiskii notam ad h. l., ex qua me non expedio. „Primus aditus non est prooemium, sed si verbo rhetorico definire placet, propositio. Idem scil. est, quod postulatio, sive causae constitutio ab accusatore prolatata, secundum quam iudices vult de ea statuere. Vid. pro Rosc. Am. c. 2. extr. Sed iam Tubero rem non ad praetorem, sed ad Caesarem detulerat: et haec delatio criminis illud ipsum est, nempe primus aditus et postulatio.“ Paene adducor, ut suspicer, virum doctissimum et diligentissimum haec diversis temporibus notasse; nam mirum in modum diversae res ita confunduntur, ut nescias, quae ipsius scriptoris sententia sit. Primum enim postulationem dicit esse propositionem; deinde se ipse quasi revocare videtur et ad veram vertere explicationem, cum definitionem criminis interpretatur. Quid sit postulatio, docet Ernestius in Clave sub h. v. Ne de propositione cogites, vetant etiam verba ut opinor, quibus Orator inepte usus esset, si de propositione adversarii, quam omnes, qui aderant, ex eius oratione cognoverant, loqueretur.

**C. 7. utrum tandem existimas facilius fuisse, Ligario ex Africa exire, an vobis in Afri-**

**Africam non venire.** Hanc lectionem praefero alteri, Ligarium ex Afr. exire, an vos cet., quia latine dicimus facile est mihi legere, non me legere.

Senatus idem legaverat. Recentiores editores dederunt item. Sed hoc ineſt in idem. Deiot. 2. „eodem audiente et disceptante te.“ — Paullo ante consulis pro interrogas recte habet. Poterat enim Tubero etiam nunc quaerere ex Cicerone, quid olim sibi faciendum fuisset. Ita res quidem praeterita erat, cogitabatur vero tamquam futura.

Sed ita quidam agebat. Haec vera est lectio, non ajebat. Agere est cum aliquo loquī, et solemne in hac re vocabulum. Pluralis agebant et deinde opponebant, qui est in codd. et edd. pr. plerisque omnibus, locum non habet ob verba sequentia „cessit auctorati amplissimi viri“ et cap. 8. „nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti in societatem belli veneratis.“ Inde id quoque patet, haec omnia ad Pompeium spectare, non ad Catonem, vel alium nobilem Pompeianum. Nam cum Cicero dicat, cessit auctorati amplissimi viri vel potius paruit, parere satis indicat, longe superiorem illum fuisse Tuberone.

nam si crimen est ullum voluisse. Locus valde tentatus ab omnibus fere editoribus, et si nulla eget emendatione. Omnia fana sunt in vulgata lectione, modo recte interpungatur: Nam si crimen est ullum, voluisse (sc. τινα), non minus magnum est, vos Africam . . . . obtinere voluisse, quam aliquem se maluisse. Sensus est: Si voluntas, sive τὸ voluisse criminosum est, non minus notandum, vos voluisse Africam obtinere, quam alium quem se maluisse sc. provinciam istam obtinere. Ita recte iam Abramius ceperat. At Ernestius in hac interpretatione non acquievit. Videlicet ultimum membrum quam aliquem se maluisse eum offendebat. Delevit igitur tum voluisse post obtinere, tum se, ac pro ullum reposuit illum. Non solum demiror istam audaciam, sed ipsam lectionem Ernestianam

nam impugno et ineptam esse arguo. Nam si legitur: si crimen est, illum voluisse, nescimus, quid voluerit ille nescio quis, nec citius quicquam compre-  
rimus, quam in fine periodi, post interiecta membra  
et plura et longiora. Neque ex antecedentibus quic-  
quam potest intelligi, ut prohibere, aut provin-  
ciam obtainere. Sed ut possit, claudicat etiam in  
fine periodus. Nam indicato certo homine, qui rem  
aliquam efficere voluerit, non potest sequi quam post  
non minus, nisi res eadem frustra repetatur et plane  
redundet oratio. Vide, an non satis dicat, qui dixe-  
rit: „Nam si crimen est, illum obtainere Africam vo-  
luisse, non minus magnum crimen est, vos eandem  
Africam obtainere voluisse.“ Adde, quam aliquem  
se maluisse; ineptam laciniam adiunxeris, quia in  
tota periodo comparatur illum et vos, non vos et  
aliquem. Alia ratio est, ubi in protasi non inept pars  
altera comparationis, sed utraque in apodosi contine-  
tur, ex quo genere est ea lectio, quam nos defendi-  
mus. Accusativus cum Inf. post verba velle, mal-  
le cet. non insolens est (Tusc. 2, 26. pro Planc. 12.  
Brut. 73. Terent. And. 2, 5, 19.), neque omnino, li-  
cet insolentior effet, aliter h. l. continuari oratio pote-  
rat. Perfecta enim et plenatum demum erat, si scribeba-  
tur: „quam aliquem se obtainere provinciam  
istam maluisse.“ Illa autem verba, quae nos distin-  
ximus, subintelligi poterant ex antecedentibus, modo  
se adesset; alioqui nullo modo. Nam aliquem ma-  
luisse accipi posset ita, ut effet, eum maluisse,  
vos Africam obtainere.

Cap. 8. unam ex omnibus huic victoriae  
m. infestam. Male Ernestius commendat Patricii  
conjecturam huius victoriae, in quo pro genitivo  
haberi posset victoriae, nisi hominis interponere-  
tur. Abhorret illud a Ciceroniano loquendi more,  
vitantque boni scriptores omnes. Pronomen hic recte  
se habet h. l., ut statim in huic causae; nec Phar-  
falica victoria specialiter, sed omnis Caesaris potentia,  
pluribus victoriis comparata et munita, intelligenda est.

aliena voluntas, conventus firmi atque  
magni, Weiskius comma sustulit, ut conventus  
effet

esset genitivus; Hanc rationem probarem, si de uno conventu cogitare sufficeret. Enimvero potest subaudiri provincialium ἀπὸ νομοῦ: in qua provincia erat rex pot., aliena voluntas, conventus f. a. m. Nam si in provincia quadam aliena voluntas est, ea haud dubie est in eius incolis. Et Cicero, si illud voluisse, quod putat Weiskius, fortasse scripsisset: „et aliena conventus firmi atque magni voluntas.“

Quamquam quid facturi fueritis, non dubitem. Duorum codd praefidio nixus, Lambinus delevit negationem, et interrogationis notam posuit. Ceteri libri et edd. pr. constanter retinent non. Inde Weiskius probabiliter coniecit, num dubitem veram esse lectionem, nisi forte non a librariis insertum est, qui ignorarent, haec per interrogationem enuncianda esse.

Quodsi Caesaris causa in provinciam veniebatis. Ita saepissime Tacitus, et vividior exsistit oratio, quam si plusquamperfectum scriptum esset. Tacit. Annal. 1, 23. „ni propere pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant“ ibid. „ferrum parabant, ni miles Nonanus minas interiecisset“ cap. 35, „ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent.“ cf. 1, 65. 69. 4, 64. 71. Cic. Verr. 2, 3 Horat. Od. 2, 17, 28. H. l. in promptu est, quare Cicero hac potius forma usus fit, nempe gravior sonus ad aures accidit variatis terminibus veniebatis—venissetis.

vel cum mendacio si vultis gloriari, perme licet. Male Weiskius verba si vultis commatis inclusit. Nam sic addendum esset aut vobis, aut vos.

etiamsi a Varo. Temere Otto Patricii conjecturam nisi pro etiamsi recepit. Codd. constanter etiamsi tuentur, quod sententiam praebet non ineptam: Admissum ad Africam Tuberonem, etiam refragantibus et prohibere conantibus quibusdam Caesaris inimicis, huic provinciam traditum fuisse.

Ne-

Nescio an melius patientiam possem dicere. Ita Weiskius repetit cum antiquioribus. Ernestius iam, et si inepta de causa, correxerat possim, quod nulla codd. auctoritate eget, et si ne ea quidem deest.

C. 9. a quibus partibus. Partibus esse non potest. Exstat in omnibus codd. Graevianis, qui meliores sunt Gruterianis, nec probabile est, quemquam verbis a quibus adscriptisse partibus. Partes Pompeii haud dubie erunt Pompeiani. — Mox cum crudelitate reiectus cum per se verius est, quam electus, quia nondum littus attigerant Tuberones, tum elegantius ob praeclaram paronomasię: receptus — reiectus. Rutilius Lupus de Fig. Sent. et Eloc. lib. I. „Non enim decet hominem genere nobilem, mobilem videri“ item: „At huius sceleratissimi opera, qui fuit locus religiosissimus, nunc est locus desertissimus.“ cf. Rosc. Com. 8. „laborem quaestus recepit, quaestum laboris reiecit.“

An, ut fit in civilibus bellis cet. Haec est altera quaestionis pars, alteri opposita; quod monendum duxi, ne quis an, quod h. l. est pro aut, falso accipiat. Prior enim pars interrogationis oblitterata est, cum ironiam admitteret auctor.

C. 10. Legatus ante bellum profectus cet. Graevius interferendum censet est, Ernestius in fine fuit. Neutrum necessarium, praefertim si haec ita dicta putas, ut supra: falsi testes, fictum crimen. Et fortasse tota haec membrorum series typis distinguenda est a ceteris, tamquam verba huic causae tum demum apta, si apud iudicem diceretur. Idem de sequentibus verbis, erravi, temere feci, poenite statuo, quae certe ad Ciceronem non pertinent, nec possunt ad Ligarium spectare, nisi ex duobus codd. rescripsitis erravit — fecit. Ceterum et aliis locis verbum esse omissum reperio, et videtur haec brevitas usitata fuisse: pro Coelio 14. „Cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum.“ cf. Caecin. c. 5. §. 14. Verr. act. I, 5: Hac nostra Orat. c. 7. „domi una erudit, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares.“ Ubi Ernestius nihil monuit, pun-

punctum etiam posuit, ut ne ex seqq. quidem verbum possit subaudiri.

An sperandi Ligario causa non sit. Per se intelligitur, quid et cui speret Ligarius, et sic absolute ponitur sperare ap. Terent. Andr. 1, 2, 10.

Id voluit, nos sic nec opinantis duci falso gaudio,  
Sperantis iam amoto metu, interea oscitantis op-  
primi.

Neque vero antithesis flagitat, ut expressis verbis dicatur, quod re fatis sit indicatum. Hoc monui, quia Weiskium video interponentem pro se. Idem supra proximo capite perperam probabat ineptam Patricii coniecturam, addentis corpore verbis tantummodo in praefidiis eratis; quasi vero omnis antitheseos vis et pulchritudo vocabulis, non sententiis, contineretur. Evidem Ciceroni nihil temere obtrudam, memor dicti Quintiliane (10, 1 sub fin.) „illi (Demostheni) nihil detrahi potest, huic (Ciceroni) nihil adiici.

qui a te pro Ligario petunt. Petere pro aliquo non minus latinum mihi videtur, quam Weiskianum illud pro se sperare. Nam ea res, quae petitur h. l., facile subintelligi potest ἀπὸ νοιῶν, nempe veniam petunt, sive ut ignoscatur. Praeterea petere saepe absolute dicitur, primum cum est percutere. Horat. Serm. 2, 1, 52. „Dente lupus, cornu taurus petit“; deinde etiam, cum vim habet rogandi. En tibi statim cap. seq. locum satis idoneum monstrabo: „ab iisque te moveri maxime, quorum iustissimum dolorem videoas in petendo.“ Denique petere innumerabilibus locis absolute ponitur, cum significat ambire, ubi munus, magistratum, honorem intelligimus.

Cap. II. causas — gratiores esse. gratiores nihil est. Qui gratiofiores defendunt, ex compendio scripturae vulgatum putant ortum. Planc. 10. „causa rogationis fuit gratiofa.“ Habet tamen Ernestiana emendatio, graviores, quo se com-

commendet, primum quod mox sequitur, „rogantium causas valere plus apud Caesarem, quam preces, eumque moveri maxime ab amicis iuste dolentibus“; deinde quod Orator addit ut dixi. Ita suspensus tenetur animus, utrum eligat. Ab altera enim parte probabilior testium auctoritas est, alteram ratio magis commendat; ferri utrumque potest. Prius igitur servandum.

**Cap. 12. Longiorem orationem causa forsitan postulat.** Ob sequens certe nuperus editor suspicatur, pro forsitan olim fuisse fortasse non, quod mihi parum modestum, et sequentibus „Quare cum utilius — finem iam faciam“ minus aptum et consentaneum videtur. Et, nescio quomodo, ineptum mihi videtur per negationem haec dubitanter eloqui. Certe h. l. est sine dubio. cf. Tursellin. de partic. p. 201.

**Cum utilius esse arbitrer.** Displacet Weiskio utilius, ut imprudentius dictum. Putat melius in utilius mutatum ob literarum similitudinem. Quae quamvis speciosa sit coniectura, tamen qui eam recipiat, is mihi auctorem potius, quam librarios, videatur corrigere. Nam in talibus veteres veriores magisque ingenuos cognovi, quam nostros homines, non-nunquam intempestive dissimulantes.

---

Reliquum est, ut ad eam ipsam rem, quae nobis illius prolusionis occasionem dedit, progrediamur. Octodecim ferme menses praeterlapsi sunt ex eo tempore, cum prima meis auspiciis specimina illius declinatorii generis ederet nostra iuventus. Quae specimen, quamvis a consummato opere distantia, cum studiosae iuventutis amicis et rei scholasticae fautoribus non displicuisse animadvertissemus, laboris nostri in his exercitationibus exhausti nos non poenituit. Iam iterum prodit in amplissimi theatri conspectum noster grex, iuvenes puerique modestissimi, spectatorum benevolentia, humanitate, favore, indulgentia freti. Quibus ut non indignos se praestent, etiam atque etiam

B

etiam

etiam opto; tum non despero fore, ut attento et aequo animo audiantur.

Ex quo tempore cum nostris civibus et scholarum fautoribus novissimum scholae nostrae statum communicavimus, ea paucas easque leviores mutationes experta est. De his igitur ad lectorem paucis est defungendum. Nam Patroni amplissimi eodem, quo ante, studio nostris rationibus consulere enī, frustra adhuc laborarunt. Nuper tandem illuxit nobis aliqua spes, quam etiamnum tenemus, quaeque tanto nobis est iucundior, quanto pluribus scholarum magistris una nobiscum affulget. Edixit enim Vir nobilissimus et clarissimus multisque nominibus colendus, liber Baro de Leist, Summus institutionis publicae Director, ut per totum regnum scholarum singularum conditiones rationesqne describerentur, descriptaeque ipsi traderentur. Ita sperare licet, id quod semper maxime desideravimus, fore, ut etiam nostrae scholae mox adiumenta idonea ac necessaria contingant. Ea enim, nisi a summa potestate profecta, nulla sunt exspectanda. Nam nos ultra vires nequimus contendere, neque ea, quae nos in nostris angustiis deficiunt, eiusmodi sunt, ut studio, diligentia, labore comparentur. Civium quidem nostrorum benignitatem et benevolentiam in discipulos nostros, quibus ob tenuem fortunam aliorum beneficiis utendum est, saepenumero cum summa animi voluptate experti sumus. Atque omnibus illis scholae nostrae fautoribus, erga studiosam iuventutem beneficis, etiam hoc loco gratias ago, quas habeo maximas; simul eosdem etiam atque etiam oro, ut eadem, quanunc, posthac benignitate in iuvenes beneficiis suis dignos et bene moratos esse velint,

Abiit proximi anni autumno in Universitatem Harensem Theophilus Fridericus Curds, Buchensis, iuvenis assiduitate morumque probitate et decentia conspicuus. Quadriennium nostra usus est disciplina, satis felici successu. Tametsi earum rerum, quae in scholis disci solent, mediocri scientia instructus erat, iisque literis imbutus, quae maxime valent ad humanitatem, tamen ut paullo diutius apud nos moraretur auctores ei fuisset, nisi eum futurae conditionis ratio

eo citius, quam vellemus, in Academiam promovisset.  
Theologiae studia sua dedicavit.

Hoc ipso tempore e schola nostra decebat **Caro-**  
**lus Wilhelmus Schultze**, Stendaliensis, item  
Theologiae in Academia Halensi operam daturus, an-  
nos natus undeviginti. Per amplius septem annorum  
spatium scholae nostrae civis fuit, semperque non mi-  
nus diligentiae, curae, sedulitatis, quam honestatis  
probitatisque laudem meruit. Quae laus in eo pluris  
etiam aestimanda est, cum, ingenii vires admodum mo-  
dicas nactus, multas difficultates, aliis aut minus gra-  
ves, aut plane incognitas, studio, affiduitate, perseve-  
rantia, indefesso labore vicerit. Nihilo tamen secius  
eum etiam atque etiam hortamur, ut ne perfectam in-  
se et omnibus partibus absolutam esse scholasticam di-  
sciplinam existimet, immo studia illa continuet, quae  
prae ceteris ingenium acuunt, iudicium firmant, alun-  
tementem.

Hos sequentur vere proximo duo iuvenes optimae  
spei, qui in hoc Actu publico sollempni **Orationes ab**  
**ipsis elaboratas** habebunt.

1. *Iohannes Fridericus Carolus Grosse* latine differet  
de commodis, quae pax afferit literis earumque  
studiosis.
2. *Carolus Georgius Christophorus Ludovicus Wer-ckenthin* vernacula lingua, quid nimium gloriae  
studium efficiat quoque evadat, demonstrabit. —  
Iis se adiungit
3. *Iohannes Christianus Wernecke*, qui vitam homi-  
num voluptatibus multo pluribus, quam miseriis,  
affici docebit, germanice.

Actus oratoriū, ad quem frequenter celebrandum  
Patronos amplissimos omnesque rei scholasticae  
fautores humanissime invitamus, in d. XVII et  
XVIII Sept. hora secunda pomeridiana, constitutus est.  
Singula carmina et dramata, quae tum erunt audienda,  
peculiaris libellus huic appositus enumerabit, qui simul  
conditiones, quibus in Auditorium, non maximae  
frequentiae capax, aditus pateat, exponet.

---



113559

ULB Halle  
008 559 678

3



113559



SPECIMEN ANNOTATIONUM

IN

CICERONIS ORATIONEM LIGARIANAM

SCRIPSIT

FERDINANDUS HAACKIUS,

SCHOLAE STENDALLENSIS RECTOR.

x-rite

colorchecker CLASSIC



STENDALIAE,  
TYPIS FRANZENI GROSSIQUE.

1811.